Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2977

Quelle:
Copyright:

nicis dicuntur, id eſt, *Introitum, Graduale, Offertorium et Communionem*, modulis muſicis incluſas et quidem a Sabbato ſancto usque ad Dominicam XXIV. poſt Pentecoſten. Dominica in Albis ſimpliciter vocatur *Dominica in octaua paſſce*, neque Feſtum SS. Trinitatis adnotatur, ſed *Dominica prima poſt pentecboſten*, quae *feſtum ſacratiſſimi corporis* poſt ſe habet. Litera cujusque Dominicae initialis grandi et eleganti pictura ſuperbit, atque hae picturae cum propter penicilli artificium, tum propter allufionem ad argumentum *Introitus*, ſingillatim deſcribi mererentur.

Volumen hoc non demum anno MDCLXXXVI. poſt expugnatam Chriſtianorum armis Budam cum ceteris triſtibus inclytae Bibliothecae Corvinianae reliquiis in Palatinam Vindobonenſem receptum fuiſſe, ſed jam Uladislai aut Ludovici Regg. tempore hujati cuidam erudito Viro, puta Jo. Cuſpiniano, aut J. Alex. Braſſicano, dono obtigiſſe, ipſa ejus integritas, ipſe nitor perſuadet. Dignum certe eſt iis accenſeri Codicibus, quos enumerat *Xyſt. Schierius O. S. A.* Scriptor induſtrius et exactus, cujus *Diſſertationem de Regiae Budenſ. Bibliothecae Mathiae Corvini Ortu, Lapſu, Interitu et Reliquiis, Vindob.* 1766. 4. adi.

DCCCXXVIII.

732 Codex membraneus lat. Sec. X. Folior. 69. 4. probe exaratus, rubricisque diſtinctus et bonae notae ſequentia complectitur: I. *Grammatica* quaedam de Pronuntiatione ſingularum Literarum ope organorum. Ita: *A. Sub biatu oris congruo. ſolo ſpiritu memo — — edicimus. B. Labris per ſpiritus impetum recluſis. C. Molaribus ſuper linguę extrema appulſis exprimitur. D. Appulſu linguae circa ſuperiores dentes innaſcitur* &c. His adjunguntur *Alphabeta Graecum, Hebraicum, Latinum, Aethici Scythae*, et *Marcomannicum* ſeu *Nordmannicum*, prout indicavimus *Cod.* CXCIII. et habentur ad calcem T. VI. Opp. *Rabani Mauri* edit. *Colon.* p. 333. non tamen ſine lectionis et Figurarum varietate. Accedunt breviter IX. *Muſarum* Officia et *Diuiſio Muſicae Artis*. An omnia haec ad *Rabanum* referenda ſint, dicere non auſim.

II. *fol.* 4. ſuccedunt notis muſicis antiquis inſignitae *Sequentiae* et quos vocabulo liturgico *Tropos* adpellabant, hoc ordine: In Natali Chriſti: *Laudemus omnes dominum Qui uirginis per uterum* &c. De D. Johanne Ev. *Dilectus iſte domini Johannes eſt apoſtolus* &c. De Innocentibus: *Infirma mundi deligens* &c. De Epiphania: *Rege noſtro carne tecto* &c. Et: *Nato nouo principe. Viſo nouo ſidere* &c. De Reſurrectione: *Exurge rector gentium* &c. De Aſcenſione: *Ex numero frequentium* &c. De Pentecoſte: *Conſubſtantialis patri et ſempiterno filio* &c. De B. Maria, ut videtur: *Forma ſpecioſiſſime Manuque po-*